

Disputatio medica exhibens aegrum quartanarium / [Adolf Friedrich Gerresheim].

Contributors

Gerresheim, Adolf Friedrich.
Vehr, I.
Universität Frankfurt an der Oder.

Publication/Creation

Frankfort-on-Oder : J. Coepse, 1680.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kbawks5n>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA
EXHIBENS

28

ÆGRUM QUARTANARIUM

— *QVAM*
DEO FAVENTE

AUTORITATE ET CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN INCLYTA VIADRINA

PRÆSIDE

*VIRO NOBILISSIMO EXCELLENTISSIMO ATQVE
EXPERIENTISSIMO*

DN. IRENÆO VEHR,
MED. D. HUIUSQUE P. P. ORDINARIO
FACULT. MED. h. t. DECANO

*DN. PRÆCEPTORE, PROMOTORE ET PATRONO
OMNI TEMPORE HONORATISSIMO*

D. APRILIS ANNO M. DC. LXXX.

*PUBLICÆ PHILIATRORUM DISQUISITIONI
SISTIT*

ADOLPH. FRIEDERIC. GERRESHEIMIUS,
SVEVO-COLONIENSIS.

A. & R.

H. L. *Q.* S.

FRANCOFURTI AD VIADRU M,

Typis JOHANNIS COEPSELII, Acad. Typogr.

P R Æ F A M E N.



Vicquid in sanis edit actiones sanas, id ipsum in Morbis edere actiones vitiatas, *verissimò dictum Axiomate. Parili laude dignum illud Wirdigii: Spiritus esse sanitatis & Morborum subjectum. Si quærat 1. quid sit sanitas? non absonum censuerim illam cum Præceptore quondam meo D.D. Barnero Colleg. Institut. per fermentorum ac spirituum cum organis suis habitudinem debitam definire, præsupponendò Principium Vitale, quod in Spiritibus, ac eorum formali Luce consistit. Si enim respicimus Naturam ipsam, quæ secundum Hipp. Morborum Medicatrix existit, illa cum aut unicè hoc Vitale Principium sit, aut potissimum, in eò consistat, (quæ enim Naturæ motus, quos ita appositè vocamus, sine hoc impetum faciente fierent?) dum ei debitò remedium usu succurrimus, ultrò expellit quod sibi (ceum iterum loquitur Divinus Senex) noxium perlentit; sive fermentum hoc sit, sive idea aliqua, sive etiam occasionale aliud? Et hoc spontaneò motu, vi propriâ facit. 2. Si quærat quid Morbus sit? pariter non male responderi putaverim: Esse Principium vitale substantiâ, Mensurâ, motu, functione atque aliter ab occasione quacunque (sic Hippocrates illud quod noxium est etiam appellat) alteratum. Inde Helmontius passim urget: In Cadavere, utut causa Morbi adsit, e.g.*

e.g. Calculus Tortor &c. nihilominus Morbum præsen-
tem dici non posse. Et quoniam Morbus formaliter in
Vitalis Principii alteratione, genericè spectatâ, consistit,
sensus & motus autem vitæ connexa sunt, ab eodem Vi-
tali Principiò vitia eorundem dependeant necesse est.
Sic cum furore illius [liceat mihi usitatum hodie pluri-
bus loquendi modum sequi] in cerebro deliria sunt, fu-
rore in M.S. febres, furore in intestinis, fluxus; Et seda-
tò solummodo furore [quod usu fere Opus fit, non eam
certe adstringendi vim habentis, ut unicò granulò tan-
tam fluentis materiae copiam sistere possit, sed vi sua
Narcoticâ spiritus unicè figentis ac demulcentis] cessant
Deliria, Febres, Fluxus. Quam in rem cum multa di-
cere liceat, nolo tamen hic prolixus esse. Spero autem
lucem dicto Dogmati accessuram ex sequenti de Febre
Quartanâ, Dissertatione, utpote cujus Affectûs forma-
lis ratio pariter in alteratione [genericè sumptò voca-
mine) Principii Vitalis, consistit: Hunc in Exemplo
contemplari paulo fusius, atque secundum Methodum
ab Excell. D.D. Præsidi in Collegio Casuali nuper tra-
ditam evolvere sic, ut Disputationis instar esse posset
tractatio, tulit animus, quando ut publicum quoddam
specimen ederem Patronorum persuasit consilium. Ju-
beat DEUS O.M. feliciter cedere negotium.



HISTORIA,

Alvenis XIX. annorum, habitus cum valeret satis boni, studiis additus Academicis, sed & exercitiis, quæ vocant, pariter deditus, hisque ubi in Palæstra incaluit domum rediens, cerevisiam frigidam Falkenhagianam ingurgitare sive; quem æstate superiore fructibus horariis variis, in specie malis persicis ad nauseam usque se explevisse novimus; Postquam ingruente Autumno, quo Febres Tertianæ & Quartanæ passim grassabantur, Febre Tertiana Intermittente correptus, eademque aliquoties afflictus, interim ingruente Paroxysmo aliàs spiritu Vini, aliàs Zingibere in China condito, durante vero æstu febrili, ad sistim compescendam, Cerevisiæ ante dictæ mensurâ non unâ atque intermissionis die Elixir Proprietatis, Parac. crebro usus esset: Exacto Mensis & quod excurrit spatium, non quidem triduo quovis redire amplius febrim experitur, habet

A

autem

autem quartâ quâque die pejus. Nempe circa horam ante meridianam, primò decimam, deinde nonam, hodie octavam, anomaliam sive displicentiam aliquam cum pandiculatione & oscitatione, mox leve frigus, paulo post horrorē, denique rigorem sentit, atque hunc similem illi, qui sub intensissima hyeme accidit, ita ut dentes crepent, totumque corpus vehementer concutiat, non sine doloris in spina dorsali artubusque sensu, quo ossa quasi contundi videntur. Adest simul nausea atque in hypochondrio sinistro quædam quasi tensio. Succedit deinde post horam calor, non subito effulgens, sed paulatim augescens, interim acris; quo durante sitis urget, declinante sudor erumpit. Hæc dum patitur 20. fere horæ elabuntur. Pulsus, qui cessante horrore tardi & rari, frequentiores fiunt cum æstus viget, sed in tarditate constantes sunt. Urinæ variæ, sed omnes crudæ, colorantur interdum cum multâ subsidentiâ. Appetitus prostratus, alvus tarda, Langvor totius corporis magnus, facies decolor, ubique Macies. Petit, à Medicamentorum usu non alienus, Consilium.

RESOLUTIO.

Affectus quocum Aeger conflictatur est
Febris Quartana intermittens:

Febris, quæ olim juxta Servium Honorat.
Comm. in lib. 7. Aeneid. Hebris, Græcis πύρε, πυρε-
τός, βρυχελός καὶ πύρε & dicebatur, Paracelso *Tr. de Pestilit.*
Tom. 3. p. 46. Morbus Nitri Ais incensi, Germanis com-
muniter das Fieber oder Feber / item das Frieren / das Kalte
appellatur. Sicuti autem vox hæc, secundum originem,
(est enim procul dubio à fervore potius, quàm, ut vult *Pe-
rottus* à feritate, aut à Febrio pisce, de quo *Scaliger Exercit.*
218. febris dicta) fervidum calorem significat, consentien-
te *Trincavello in 1. Gal. lib. de differ. febr.*; Quamvis alii, qui
ad antiquum Verbum *Februo*, i. e. purgo, aut inde deriva-
tum nomen *Februum*, i. e. purgamentum, juxta *Laurenber-
gium Antiquar. p. 175.*; hincque nominatum Romanorum
festum *Februa*, natales illius referre malunt, depurationem
potius Massæ Sangvineæ eâdem notari existiment; quod
non placet adeò *Rollincio Ord. & Method. Cognosc. & Cur.*
febr. General. p. 11. ut & *Relovio Diff. de Febre Petechiali c. 1:*
Ita quoad rem Febris nihil aliud est, quam exæstuatio Ca-
lidi s. Spiritus Vitalis. Sic teneo cum *Lindenio Meletemat.*
Part. III. §. 69; adeòque Vestigia laudati Viri premens, tribuo
agro nostro *Morbum strictè dictum*, & in specie, respectu par-
tis affectæ *Morbum Spiritalem*, respectu Vitii *Superamen-
tum*, respectu Organisationis *Similarem* s. *Materiaturæ*; spe-
cialius *Morbum Motionis*, s. qui in Spiritus inordinatâ mo-
tione consistit.

Neque interim litem cuiquam moturus sum, si vel ex *Galeno 1. apb. 14.* per conversionem caliditatis nativæ in igneam; vel cum *Paracelso* per accensionē Nitri & Sulphuris; vel cum *Willis. cap. 1. de Febr. p. 65. & cap. 3. p. 79.* per motum inordinatum aut fermentationem, (quemadmodum & *Kergerus facit de Ferment. Sect. 3. c. 3.*) seu effervescentiam immodicam aut præternaturalem, (quod genus imprimis *Fabro* placet *Pyretolog. general. p. 5.*) Sangvini & humoribus inductam; vel ad *Sylvii* mentem, quam *vid. Prax. L. 1. c. 27. §. 1.* per pulsum p. n. frequentiore & auctiore; vel cum *Senn. de Febr. L. 1. c. 1.* per intemperiem calidam totius; vel cum *Sydenhamio Method. Curandi febres. p. 2.* per commotionem Massæ Sangvineæ, rectius eam definiri existimet: Tametsi recensitarum sententiarum aliquibus minimè tutò accedi posse persuasus sim.

Sanè intemperies calida effectus potiùs febris esse videtur, quàm ipsam ejus rationē formalem absolvere. Quod enim ab *Excellentiss. DD. Bobnio in Colleg. Patbol. MSS. de Morb. part. Similar.* dictum est: De Temperatura sciendum, quod partibus similaribus ut vitalibus connata ac propria nulla sit, sed ab influxu fluidarum & impetum facientium, omnis Calor humidumque radicale dependeat. Sic intemperies earum causam pariter agnoscunt humorū & Spirituum diversas Dyscrasias & influxus, à quorum fervore immoderato illæ incalescunt, horum vero influxu destitutæ refrigerantur. Quibus ex verbis pariter innotescit, quid de decantatâ vulgo viscerum Antipraxiâ statuendum veniat. Scilicet ut *Lindenius in Coll. MSS. ad Prax. Chym. Hartmann.* habet, Mera hæc est fabula. Partes non habent calorem ex se, sed ex sangvine hunc concipiunt; qualis enim sangvis, talis quoq; est Calor in parte. Quomodo E. idem Calor, qui Epar calefacit, potest Ventriculum frigefacere?

Dein

Dein si Epar sit calidum, quomodo Ventriculo incumbens non calefacit eum, sed frigefacit & refrigerat? Vide pariter in hanc rem *Excellentiss. DD. Ettmullerum Dissert. de Med. Hipp. Chym. cap. 1. §. 9.*

Nec vero mihi, ad Morbos Febrem referenti strictè dictos, objectum iri opinor Febres symptomaticas vulgò dictas, de quibus *Senn. L. II. de Febr. cap. 15.* Erit enim facilis objectionis hujus solutio per distinctionem à *Lindénio Meletem. L. III. §. 128. 129.* allatam, quâ Symptoma in verum vel non verum discernitur, hocque quintuplex statuitur: Morbus Symptomaticus, symptoma Causæ, symptoma naturæ, symptoma erroris & symptoma symptomatis. Dixerimq; adeò: Febres symptomaticas non malè quidem ad symptoma non verum, in specie ad Morbum symptomaticum, (qui si spectes Essentiam Morbus est; si dependentiam à Morbo, Symptoma) referri: At vero symptomati vero, (quod à laudato Autore *l.c. §. 97.* aptè definitur, per vitium alicujus eorum, quæ in & à corpore geri secundum naturam debent, productum seu vi seu occasione Morbi) nullatenus subordinari posse. Si verò ex alio quis Capite, nempe ex eo, quod Febris remedium contra Morbos, sive ut *Celsus L. 2. c. 8.* dicit, sæpe præsidio sit, uti non *Campanella* tantum, (cei quidam autumant & ideo uno novitatis nomine dogma hoc, cei profectum ab homine non Medico, damnant) sed & jampridem *Hipp.* pluribus exemplis docuit, indice iterum *Lindénio in Selectis VI. §. 59. & VII. §. 39.* Morborum in censum Febrem referendam non esse cum nominato *Campanella* ejusque vestigia premente *Job. de Mey* existimaverit: Illius scrupulo ut satisfiat, adire eum velim aureum *Stephani Roder. Castrensis Lusitani Medici* opusculum, *Quæ ex quibus*, ubi discet non rarò fieri, Morbus ut Morbo, Malum Malo medeatur; ut & *Rolf. Meth. Cogn. & Cur. Febr. General. c. 9.* ubi argumenta *Campanelle* diluta inveniet.

Cæterum cum variæ febrium Species sint, quarum plerasque in Synopsi videre licebit apud *Carceum in Indice L. I. Prax. Sylv.* atque inter cæteras decantatissima apud Auctores differentia, quâ in Quotidianas, Tertianas, Quartanas &c. dirimuntur; non satis erat febrem ægroto nostro tribuere, sed & species ejusdem determinanda exactiùs. Unde est ut Febrem *Quartanam* dixerim: Innuens, quartâ quâque die exæstuationem, quam dixi, Spiritus in ægro nostro mutationem aliquam subire. Hæc febris est, quam *Quatrinam* alii cum *Plinio*, alii *Morbum Quartanarium* absolute dicere malunt. *Mercurialis* existimat, hanc esse Febrem illam, quam *Lucilius* & *Plautus Querqueram* vocarunt. Nonnulli etiam ex hypothese, quàm postea afferemus, *Melancholicam* appellarunt. *Langius* in Misc. Cur. p. 28. *Luem quartanam* & *Affectum quadrimum* nuncupavit.

Pariter cum receptissimum in Scholis Medicis dogma sit, quod Quartana alia Continua, (quam septuagenario sibi nunquam visam, & ideò aut rarissimam cum *Galen. de Different. febrium* aut nullam judicat *Fr. Joël. Tom. V. Prax. de Febribus p. 63.*) alia intermittens habeatur; *Intermittentem* i. e. certa ἀπογεῖας intervalla habentem, quam alii *remittentem* & *interpolatam* vocant, hanc nostri ægri dicere jusserunt Signa, mox recensenda; Postquam nimirum indicaverim, cui ex cæteris, quæ alias afferri solent, febrium Quartanarum differentiis eadem veniat accensenda. Cum enim Quartana alia Exquisita statuatur seu Legitima, alia Spuria; Alia simplex, alia Multiplex, nempe Duplicata vel Triplicata; Alia Sporadica, alia Endemia, in locis præsertim juxta Oram Maritimam, quosvis illic degentes aut aliorum advenientes confestim occupans, uti *Willis* notat *Tr. de Febribus cap. 6. p. 99.* alia Epidemia, (qualem A. M. DCXVI accidisse, totiq; Germaniæ & Wittebergæ tam familiarem fuisse, ut etiam infantes modo natos corriperet & vix do-

mus

mus aliqua esset, in qua non quartanarius unus vel etiam plures decumberent, testis est *Senn de Febris L. II. c. 20. p. 296.*) Rursus alia Anticipans, alia posticipans, alia statura; Alia Autumnalis, alia hyemalis, alia Vernalis; Alia pertinax & vehemens, alia Remissior & mitis; Alia ab aëris constitutione, alia à victus ratione male institutâ, & hinc corrupto sanguine dependens: Quæ nostrum ægrum affligit, Legitimam, Simplicem, quodammodo Epidemiam, Anticipantem, Autumnalem, sic satis vehementem, nec minùs ab aëris constitutione quam victus ratione pravâ dependentem esse dicendam existimo, ceu ex dicendis elucescet.

At vero affligi revera Ægrum nostrum Febre, eâque Quartanâ & Intermittente, jam demonstrandum est. Mihi de hoc dubium remanere non sinunt Signa in Historia recensita, qualia in nullo alio affectu nec alia febre se exhibent: Adsunt nimirum illa, quæ *Essentialiter inhaerentium* s. *signorum Pathognomonicorum* nomine alias indigitantur, rectius quasi *Pathognomonica* vocanda. Anomalia puta s. Displicentia, quarto quovis die, hora antemeridiana cum Pandiculatione & Oscitatione invadens, mox leve Frigus, paulo post Horror, denique Rigor; ac hic similis illi, qui sub intensissimâ hyeme accidit, ita ut dentes crepent, totumque corpus vehementer concutiat, non sine doloris in spina dorsali artubusque sensu, quo ossa quasi contundi videntur: Calor item non subito effulgens, sed paulatim augescens, interim acris, per horas fere 20. durans: Pulsus cessante horrore tardi & rari, frequentiores cum æstus viget, sed in tarditate constantes: Quæ omnia quod in Febre Quartana nunquam non occurrant, præter plerosq; Pathologorum docet *Cassp. Hoffm. Institut. Med. L. III. c. 20.* Adsunt præterea, Symptomata alia *postessentialia* Quartanariis familiaria, tam Facultatum læsarum, quàm mutatorum

Ex

Excretorum, ut & alienarum Qualitatum. Animalis valde afficitur à Lassitudine vel Langvore totius corporis & à tensione in hypochondrio sinistro. Vitalem, eandemque Naturalē afficiunt Nausea, Appetitus prostratus, Sitis, Alvus tarda, Sudor in declinatione caloris, Macies. In Excretis & retentis se offerunt Urinæ variæ sed omnes crudæ. In Qualitatibus mutatis, Facies decolor. Adsunt insuper Causæ Quartanæ Productioni egregiè faventes, Tempus Autumnale, Error gravis in victu, similesque, de quibus fusius in ipsa ætiologia agendum. Est denique ea in universum Morbi ratio, qualem in aliis, quos Medici experientissimi pro Quartanariis habebant, advertere licuit.

Hisque adeo indiciis Præsentia Affectus, quem initio nominavi, confirmatā, constat unā operā Aegrum nostrum affligi Morbo *tutissimo* quidem, *benigno* & periculo carente, sed *universali* tamen & tali, qui inter sui generis *longissimus* habetur. Est enim pervagatæ notitiæ, Febrim ad Morbos Universales spectare; deque indole Quartanæ notissima Practicorum assertio: Eam inter cæteras, siquidem Legitima & simplex sit, nec admodum senibus contingat, minimum habere periculi; Imo ab aliis morbis liberare, vi effati Hippocratici I. Epid. Com. V. t. 5. & aph. 50. *A quartana correpti non admodum convulsione corripiuntur, si verò prius corripiantur & postea quartana supervenerit, liberantur.* Interim sæpe non solum ad aliquot menses, sed & plures nempe 3. 4. imo 12. & 21. annos, præsertim si Autumnales sit, solet extendi.

Non minus ex ante dictis de *Subjecto* potissimum affecto res esse quodammodo manifesta potest, Spiritumque Vitalem seu Calidum corporis hoc nomine meritò venire vel hinc colligas, quod Morbis *Spiritibus* hunc nostri adscripserim. Ut autem plenè & planè, quæ ad hoc punctum spectant,

spectant, tradantur, lubet distinctim mentem exponere,
 quæ de subjecto in universum sic habet: *Subjectum ut Quod*
 vulgò dictum, à *Linden. Melet. P. III. §. 4. Representativum*
 appellatum, Juvenis noster est; quem alias boni habitus,
 studiis addictum Accademicis exercitiisque deditum, & pa-
 lato quidem suo indulgentem sed nec à Medicinâ alienum,
 ex casu cognoscimus. Ut *Quo Lindenio s. substantivum*, idem-
 que *absolutum seu Totale*, corpus ejus, *Limitatum v. s. Partia-*
le iterum duplex nempe *Locus & Focus. Locus s. Pars affecta*
 aliis *Subjectum adequatum & proximum Spiritus* est, ut jam
 diximus, quem *Hipp. Calidum* dixit, & ut *Essentiæ unitatem*
 ususque varietatem vindicatum iret, τῶν ὁρμώνων i. e. *impe-*
tum facientium nomine appellavit proque ipsa anima, sen-
 sitiva videlicet, hominis habuit quam *L. VI. Epid. sect. V.* us-
 que ad mortem crescere & decrescere pronunciavit. Alii
ignem Vitalem & animale item *naturalem* ut & *calidum in-*
natum ac influens, flammam vitalem, alii aliter indigitare su-
 stinent; Hodie non pauci cum *Helm.* quem vide *de feb. cap.*
16. §. 6. 8. & 11. Archeum vocant. Cujus naturam & indolem
 qui volet pluribus sibi exponi, inveniet apud *Linden. Melet.*
Part. II. §. 53. & 54. quæ desiderium illius expleant. Hujus
 laudatissimi Autoris, quod eadem, quæ mea est, de subjecto
 hoc quod excutio, sententiâ sit, non tantum ex loco ante
 citato sed & exemplo σκωληκωπυρίας s. *Febris ex vermibus*, pa-
 tet, adducto ab eodem *L. III. Melet. §. 4.* Confirmor vero in
 opinione dicta etiâ sententia *Sennerti, Helmontii & Wirdigii.*
 Nempe *Sennertus L. de feb. c. 1. p. 11.* Sciendum est, inquit, cum
Febris Morbus universalis sit, ut omnes partes eadem ratione fe-
bricitare dicantur, aliquid, quod omnibus partibus commune, in
febre mutari ac alterari. At illud nihil aliud est, quam Tem-
peramentum corporis viventis seu calor ille actualis, qui ex insito
ac influente quasi conflatur. Paulo post: *Febris subjectum Calidum*
B
innatum

innatum vocat, atq; ubiq; fere cōcedit, partes ex spiritu in febre calorem, perinde ut frigus habere. Helmontius autem de feb. cap. 16. §. 11. expresse dicit: Arcbeum seu impetum facientem in suas in febris pati perturbationes. Et Wirdigius Medic. spirituum tam cap. 1. quàm cap. 3. febres esse Morbos spirituum argumentò non unò probare satagit. Cæterum cum Spiritus $\pi\rho\omega\tau\omicron\nu\ \delta\epsilon\kappa\tau\iota\kappa\omicron\nu$ seu primum & proprium receptaculum ac vehiculum sanguis sit, adeo ut nec ille à sanguine vel latum ungvem citra interitum recedat, imo verò sine sanguine nuspiam vagentur aut penetret; nec hic sine spiritu aut calore sanguinis nomen tueri possit, Cruor potius appellandus, juxta Harvæum de Gener. Anim. Exercit. LXXI. p. m. 315. & 316. qvo cum conferre meretur Linden. de Circuitu sanguinis Hipp. Exercit. XIV. §. 424. & seq. Propter intimam, inquam, hanc copulam, non possumus, quin sanguinem quoque in partem loci affecti venire patiamur. Intelligentes hoc nomine non humidam illam & calidam sanguinis partem, prout tribus istis olim receptis, bili sc. pituitæ & Melancholiæ contra distinguitur; nec qualem solùm in venis & corde reperiri falsò aliqui credidere; sed totam, quæ vasis continetur miscellam, Massæ Sanguineæ nomine communiter hodie indigitatam. Focum autem seu subjectum Causale, pro diversitate causarum propinquiorum vel remotiorum diversum debere agnosci, nempe intuitu Causæ Immediatæ Lienem potissimum, Hypochondrii sinistri incolam; respectu reliquarum, stomachum aliq; viscera & vasa partim Chylum preparantia, partim sanguinem depurantia, ex ipsa ætiologiâ patebit. Unde pariter elucescet, quænam partes per Consensum, quænam per Essentiam patiantur; sicut symptomatum evolutio locos per accidens affectos deteget. Addo tantum quod Excellent. D. Præses Præceptor summe colendus in Collegio Euporistorum docet, se multa pathemata generis nervosi in

in quartanâ observasse, spiritumq; animalē singulariter affectū existimare, tamen si de affectionis modo nō satis constet.

Quibus de Affectus præsentis, subjectique affecti ratione præhabitis, jam quæstionis est: *quibus ex causis, quomodo originem Febris Quartana intermittens in juvene nostro traxerit?* Ego de immediatâ seu proximâ, nempe antecedente vulgo dictâ, ita statuere sustineo. Exæstuarē Spiritum, sive impetuosè & inordinatè, magisqve & velocius quàm naturæ instituto congruit, moveri, quia à fermento salis peregrinò seu heterogeneò lacescitur. Fermentò autem hōc peregrinò liceat mihi cum *Fabro Pyretolog. General. p. 7.* notatum ire Corpus sale acri, & speciatim acido, aqueo humori conjunctò, abundans, inque Liene potissimum stabulans, & inde sanguini sese inferens.

De sale quod dico acido experiētiâ duce facio, quippe quæ illius ad lacescendum spiritum potentiam non unò documentò evincit, quorum aliqua vide *apud Fabrum l. alleg.* Neque verò ab *Hippocraticâ* id adeo alienum est, doctrinâ, ut optimè potius cum decretis magni Præceptoris congruat. Siquidem ille diversis in locis nempe de *Prisca Med. Sect. 1. De Victus ratione L. II. Sect. IV. aliisq; non obscure docet, salia imprimis esse quæ in corpore perturbationē excitant, hominemq; molestiâ afficiunt.* Id quod *Sennert* quoq; agnoscit ex aliò locò *np. III. de Victus ratione in acutis text. 38.* ceu videre est *Tr. de Feb. Lib. II. c. 20. p. 295.* Estque inter cætera, quæ sexcenta statuit, hujus generis, lædere, dum in morbis solvuntur, idonea, primò ferè locò ab illo habitum acidum quod, omnium potentissimum inter potentias suas censet ob acutas sui particulas, maximam concitandi & lancinandi vim possidens; ceu *Platoni* etiam visum, qui ideò sola acida ad *ἔσσι* seu ebullitionem excitandam aptissima judicavit. Confer in hanc rem *Excell. DD. Ettmullerum in Medicina Hipp. Chymica,*

ut & *Willhelm ten Rbyne in Meditationibus super Hipp. textum ante cit. Art. V.*

Dico autem in *Liene* potissimum stabulari fermentum hoc; tam aliorum Autoritate ductus, (quamvis & Veteres & Recentiores in hoc consentire ferè advertam, quod *Lienis* in *Quartanis* subsit *Affectio*) quàm his maximè argumentis persuasus: Quod 1. plerique *Quartanariorum*, sicut & noster, sentiant dolorem aliquem circa regionem *Lienis* uti *Timæus Cas. Medicin. L. VIII. Casu. XV II.* & *Tb. Bonettus Anatom. Pract. L. IV. de Feb. Obs. 13. p. m. 1431.* testantur. 2. Externa regioni *Lienis* applicata remedia omnium optimè fere *Quartanam* solvant, quoniam eousque accessus internis remediis vix atque vix patet indeque febris hæc diutius durat.

Atque ista cum sit animi mei sententia, non procul quidem abesse me innuo à dogmate *Helmontiano*, *Lib. de Feb. cap. 6. 10. & 17.* fusius ab Autore expositò, atque hoc inferente, quod *Quartana* cōsistat in perturbatione vel furore *Archei* in *splene Topici*, quem ille statis periodis excitet, inter proprios lares, errorem digestionis committens per succum acidum ab arteriis splenicis collectum. Nempe sciendum, inquit, *cap. 6. §. 11. Splenem* quadringentis forte arteriis conspersum esse, nec ullum omnino viscus tam frequenti arteriarum propagine ditari, atq; *Lienem*. Dein sciendum sedem *Quartanae* nedum esse in ipso *Lienis* corpore, verum in ipsismet ejus arteriis, si non omnibus saltem in aliquibus. Quod punctum unicum fecit sanationem *Quartanae* difficilem; Tertio demum sciendum, quod arteriâ nullum è stomacho, intestinis vel aliunde succum trahat sibi; nam quorsum sibi istum traberet, cum exin nil sibi unquam boni paret? Ille enim *Chylus* attractus, adhuc caret mediis præviis, quibus unquam queat ad perfectionem sanguinis arterialis deduci. Et *cap. 10.* postquam nidum febrium

februm imprimis officinis dixerat, eumque extendi à Pylo-
 ro per duodenum & vasa ibidem multiplicia, *sola autem*,
 scribit, §. 6. *Quartana in splene ipso venisque sibi contiguis bo-*
spitium detegit. Atq; iterum cap. 17. cum de continuis juxta
 ac interpolatis febribus ex loco natalitio causisque egis-
 set, *sola autem*, §. 9. subjicit, *Quartana exlex est, penitus subi-*
isse visa, sive extra contubernia stomachi ad splenem se porrexisse.
Parem attamen servat sibi progressum & explicationem super
Archeum loci: dum intra proprios lares, errorem digestionis
committens, statis periodis suos excitat furores. Puto interim
 nec tritum illud Veterum Medicinæ Doctorum placitum,
 (qui ceu proximam causam in Febre Quartana accusant
putridos vapores Melancholia præternaturalis seu atræ bilis ex
adustione reliquorum humorum factæ, & circa Lienem vi-
cinaque viscera putrescentis, uti ex Senn. de Feb. L. II. p. 294.
Joële de Feb. Tom. V. Prax. Sect. II. p. 64. Raymund. Job. Fortis.
Consil. de Feb. p. 64. aliisque constat.) adeò ab eâ, quam am-
 plector, opinione recedere, quin conciliari cum illa possit;
 dummodo de naturâ Melancholiæ p. n. ita quis statuatur, ceu
 Senn. fecit l. c. p. 295.: *Aceto illam persimilem, neq; aliter,*
innuente Gal. III. de symptomatibus, ex sanguine fieri, quam
ex vino acetum perbibens; Fecerunt alii ex ipsis Veteribus,
 Melancholiam sangvinem ab acido congrumatum vocan-
 tes, atque ex Avicenna loco etiam nonnulli arguunt, quò
Melancholiam terram fermentare dixit, judicantes id fieri pro-
 pter aciditatem cum terra alcali effervescentem. Redit
 enim hâc ratione etiam juxta Veteres potissima culpa natæ
 quartanæ ad acidum circa Lienem exorbitans & sangvinem
 contaminans. Exorbitans, inquam, cum negare nolim,
 dari secundum naturam quoque acidum in sanguine, uti ex
 Charleton. Tr. de Scorbuto. cap. 7. constat, sed quatenus in-
 statum in Morbosum degenerat, eatenus maximè nos læ-
 dit.)

dit. Similiter quod Paracelso visum, ejusque affectis, nimirum *fermento Nitro-Sulphureo*, seu igneo, tum in omnibus febribus, tum in Quartana, deberi ebullitionem sanguinis: Quodque Sylvius & Grassius docuerunt; *succum pancreaticum* aliquâ sui parte in uno pluribusque pancreaticis ductibus lateralibus stagnantem, ac morâ acriorem factum, viâque vi tandem paratâ, in intestina effusum, hinc cum bile Antagonistâ ad cor delatum, effervescentiam hujus concitando, febres tum alias intermittentes, tum Quartanam producere: Utrumque, dico, hoc tale esse, ut si rectè explicetur, cum mea sententia stare possit adeò non ambigo, ut conciliationis modum ostendere in proclivi putem, dummodo brevitatis propositum abstinere hâc labore non juberet.

Nunc autem, si quis à me causam quæsierit, cur *fermentum*, quod dixi, *salis peregrinum*, postquam semel spiritum laceßivit & exagitavit, non continuò eundem exestare faciat, sed per intervalla vim suam exerat? Illi id ita evenire responderim, quoniam semel licet à spiritu concitatò subactum & quasi devictû, totum tamen nō extirpatur, sed in minerâ suâ latens denuo caput effert, pristinamque naturam induit; quemadmodum apum embrya (quò simili Sydenhamius utitur p. m. 89.) statis temporibus sensim succrescunt. Qui fiat verò, cur per certa intervalla & quidem quarto quôq; die, redeat ad maturitatem, ut sic dicam, suam fermentum, acidum, & novum spiritui negotium faceßat? Id quidem difficile esse explicatu, imo planè me nescire, cum modo citato Sydenhamio fateor. Neq; (ut verba illius p. 89. mea faciam) quisquam alius, quod sciam in hac causa tam præclare se gessit, ut arcanum hoc opus naturæ satis enarrasse videatur. Ego Philosophi nomen non ambio, & qui titulum illum se mereri existimant, atq; me fortassis hoc nomine culpandum putabunt, quod in hæc penetralia non irrumpere conatus sim, moneo illos, ut in aliis naturæ operibus, quæ ubiq; nobis ob-

versan-

versantur, vires suas experiri velint, antequam aliis dicant scribant. Libenter enim quaesierim, cum equus ad ἀκμὴν suam pertingat septem annorum spatium, homo 12, cur in plantarum regno, hac mense Majo, illa Junio, ista alio florere soleat; ut innumera alia nunc fileam. Quod si doctissimos quosque viros non pudeat suam ignorantiam in his rebus palam fateri, non video, cur mihi vitio verti debeat, si in re non minus difficili, atque forsitan prorsus inexplicabili, manus ab αἰτιολογία abstineam: Quippe cum persuasissimus sim, Naturam non minus hinc loci, quam in alis quibuscunque methodo quadam certa atque ordine progredi: Quartanosa enim (ut sic dicam) ac Tertianosa materia non minus naturae legibus subjacet, iisque regitur, quam alia corpora qualiacunque.

Mediatas quod attinet Causas, eas tam Antecedentes, quam Procatarticas, earumque & vim & ordinem sic concipio:

Fermentum acidum heterogeneous in Liene fabricari puto, culpam vitiatæ digestionis, quæ in viscere hoc (quod si ullum sanguinis officina dici meretur, arguente D.D. Rivino Dissert. de sanguificatione cap. 3. § 30.) alioqui contingere dicitur; quamve in exaltatione sanguinis, unde Tincturae & fermenti naturam induit, consistere Sylvius Diss. Med. V. §. 16. & 18. & modo dictus Rivinus censent; Hic vero etiam Chyli transmutationem inferre arbitratur l. c. §. 28.

Vitiatam verò digestionem Lienis acceptam potissimum fero materiae digerendæ, à naturali conditione sic declinante, ut, quæ temperata, dulcis & spiritua scibilis, sive spiritui facile penetrabilis & solubilis esse debebat, ea acida & viscida Lieni offeratur. Duplicis hanc esse generis agnosco, nempe 1. liquorem animale per nervos (quos Lien complures habet, vasa sanguinea comitantes, easque variè circumligantes, in penitiorem visceris compagem disseminatos, docente Willisio in νευρολογία cap. 25. p. 135. & in Patbol. cerebri p. 124.) affluentem, ceu cum proximè nominato Autore qui in νευρολογία cap. 27. succum hunc spirituum animalium vehiculum & materiae nutritivæ fermentum facit, aliis-

aliisque eruditorum Anglorum, ut & *Maur. Hoffm. in Synopsi Instit. Anatom. Diss. 24.* ac *Brunone Dissertatione de Liquore Animali*, pluribusque hujusævi Medicis statuere sustineo; ut ut *Cl. Rivinus cum Excell. D.D. Bobnio* existentiam ejus penitus impugnet *Diss. de Nutritione §. 42. & seq. 2.* Chymum seu sangvinem portionibus Chylosis saturatum juxta *Lindenum Selectorum 13. §. 882.* per arterias à ramo cœliaco natas, pariterque ut ex *Helmontii loco ante cit. constitit*, numerosas, (non tamen ut in *Bartolino* per hypothetæ errorem scriptum est 4000.) à corde accedentem. Quorum ille cum hujus conditiones sequatur, siquidem juxta. *Maur. Hoffm. l. c. Diss. 18.* debet se Chylosis sanguinis portionibus in cerebro relictis, propriâque ibi qualitate, quam substantia cerebri tribuere nata est, imbutis, cujus maxime natales rimari convenit. Quem ipsum eâ, quâ dixi, ratione constitutum loqui mihi videtur *Willis. de febribus p. 99.* cum in Quartana sangvinem à naturâ dulci, spirituosâ & balsamica in acidum & nonnihil austerum transire pronunciat.

Igitur Chymus acidus & viscidus ortum suum me iudice habet à Chylô parilem Metaptosin (quæ secundum *Lindenum Metel. P. III. §. 21.* est alienatio per degenerationem) passô, sive ut alii loqvuntur à cruditate acida, quæ aliàs Mater omnium fere Morborum Chronicorum recentioribus audit; Chylus autem, quod à naturali & blandâ dulcedine suâ desciverit & in liquamen acido viscidum conversus sit, per Dyspepsiam factum est. Dyspepsia partim vitiô acceptorum & Retentorum, partim ipsius spiritus, velut causæ coctionis efficientis culpâ hætenus contigisse videtur. Vitium acceptorum in pravâ victus ratione consistit. Tametsi succedente tempore etiam Medicamenta utpote Elixir Propr. acidum & Zingiber in Chinâ conditum, quibus usum nostrum audio, aliquid ad augmentum acidi conferre poterit.

erit. Nam aromata, quæ minus Oleosa & acrimoniâ quasi urente prædita, succis ad acescentiam fermentandis adduntur, uti *Excell. DD. Bohn. in Colleg. Chym. Miss. Art. IV. de Acetis §. ult.* ut & *Colleg. Patbol. Exercit. XIV.* demonstrat. Illam peccasse tum quantitate, tum qualitate assumptorum, nec non utendi modò, Historia docet.

Speciatim ciborum qualitatem vitiosam animadverto, dum Ægrum æstate superiori fructibus horariis variis ad nauseam usq; sese explevisse percipio. Notum dehis, quod aciditatem facillime in ventriculò contrahant, dum fermentationem excessivam promptissime subeunt, imo sæpe aliis rebus minus fermentabilibus fermenti quasi loco inserviunt, v. g. succus Aurantiorum, Cydoniorum pro opio fermentando & corrigendo, juxta modum, quem *D.D. Langelott. in Epist. ad Naturæ Curiosos* describit, uti *Excell. D. D. Bohn. Præceptor meus omni observantiâ devenerandus in Colleg. Chymico, ante quadriennium Lipsiæ nobis aperto, Art. II. §. 12. docuit.* Estque acescentiæ hujus argumentum non leve à stranguriâ, quæ post liberaliorem musti potum fere solet Caco stomachicos affligere, sicuti exemplò studiosi cujusdam didici. Præcipuum in hõc genere peccatum, est immodicus Malorum Persicorum usus. Nimirum fructus hi arborei, quos nomine hoc indigitatos credit *Gualter. H. Ruff. Comm. in Dioscoridem* quod de Persia ad nostras Regiones allati fuerint, suffragante *Cass. Hoffm. de Medicamentis Officinal. L. II. p. 429.* qui arborem ipsorum Parentem Persicam, Persiam, vel Persicum dictam olim existimat, cum eximiè humectent & refrigerent, & ut ait *Ægineta L. I.* mali sint succi, putredini facile obnoxios humores generant, flatus progignunt, debili ventriculo noxam afferunt, febribusque putridis, Diarrhoeæ, Dysenterici, Cholerae fores corruptione suâ aperiunt, & post largiorem illorum usum, senem-

C

quen-

quendam Cardialgiam ipsamque mortem denique contraxisse referunt *Schenckius L. III. Obs. & Quercet. Diatet. polybistor. Sect. 3. c. 3. Conf. Arnoldum Freitagium Embricensem Tr. ex Italico Pisanelli in latinam linguam converso de Esculentorum potulentorumq. facultatibus p. 16. 17. Mæb. Instit. p. 471. Zornium in Herb. Pancoviano p. 301. aliosq; Botanicorum; Tametsi in febribus adurentibus juvamentum inde nonnulli promittant & nucleos Persicorum ad Quartanam Crato L. I. Consil. XIX. & Zacut. Lusitan. de Med. Princip. Hist. L. 4. bist. 32. ex Avennzoar. commendent.*

Potus quoque *qualitatem*, simulque *quantitatem* ut & *utendi modum* vitiosum percipio, quando Ægrum cerevisiam *Falckenbagianam* frigidam, corpore præsertim in Palestrâ calefacto, ingurgitasse experior. Ut taceam enim cerevisiæ, quod dixi, genus ad triticeas maximam partem spectare, quas etsi magis, si meraciores fuerint, nutrant hordeatis, docente præter alios *Thaddæo Hagecio Opusc. de Cerevisia p. 46.* atro alioqui calculo notant peritiores Medici, & tristitiarum cognomine indignant, ceu succi viscidioris, obstructionum Parentis, genitricis vid. *Rolf. Ord. & Meth. Medicin. Comment. General. pag. 142. Mæb. Instit. Med. p. 520.* qui in specie Affectum Hypochondriacum in multis inde produci asserit, *Oswaldum Grembs Arbor. homin. integræ & ruinosæ L. 3. cap. 1. §. 28.* Ubi, Est, inquit, aliquando potus ex suâ naturâ nocivus, quemadmodum cerevisia alba, quæ post se multum fœcis relinquit, unde diversorum Morborum ex Cachexiâ scaturientium causa existit. Utve præteream, ex aquis Lacustribus stagnantibus coctum hunc Zythum, cujusmodi sanitati obesse *Rolf. l. c.* perhibet: Facile intellectu est, magnum ab hoc in Diætâ errore detrimentum chylicationi accessisse, si quis & liquoris hujus in speciem vini (ut *Tacitus* loquitur) corrupti, saporem subacidum

dum cogitet, unde ad majorem in Ventrículo, acidâ cruditate jam infectô, acorem contrahendum promptitudo elucescit; & refrigerantem ejus virtutem, quâ spiritus à stomachô arcentur, perpendat; Sique actuale frigus ad animum referatur, quô sine potus hic Ægro nunquam placuit; quod verò quantopere ventriculi viscerumque ac humorum rebus incommodet, ostendit *Excellentiss. D.D. Præses Dissert. Inaugur. de Erysipelate* §. 73. quem memini aliquando & Scorbuti, Quartanæ fere socii, inter Germanos nostros familiaritatem ab hac causâ derivasse; Denique si ipse ingurgitationis actus pöderetur, αμύσσειν enim sive amyssidem, qui in bibendo sectantur, ὅτι τὸ μὴ μύειν à non connivendo dictum, & sine interpiratione unô haustu decumanos calices exhauriunt, sanitati suæ mirè insidiantur; ceu iterum habet *Rolf. Metb. Comm. Gen. p. 141.*

Retentorum vitium cum adduco, cruditatem (strictè modernis sic dictam) acidam seu reliquias ejusmodi ventriculo ex prægressâ malâ digestionem inhærentes, accuso; Quatenus nimirum hæ fermenti naturam induunt, & postmodum ingesta quæque acore suô inficiunt, consentiente *D.D. Rivinô Dissert. de Dyspepsiâ. §. 32.* Est enim fermentorum ea, ceu constat, ratio, ut minimæ istorum particulae totam aliquam Massam ad fermentescendum facile disponant, uti de salivâ ejusque vi fermentativâ constat, quod rebus fermentabilibus addita, facilè has fermentescere faciat, ut non sine causâ mulierculæ in fructuum succolentorum conditurâ pueros arceant, ne, lambendô cochlearia, aliquid salivæ iis permisceatur, aliàs conditurâ facile fermentante & acescente. Ubi simul lubet adnectere, quod de fermentis in corpore aliàs docetur: Si illorum sapor aut odor à quâcunque causâ rerum nonnaturalium p. n. alteretur aut exaltetur, evadunt ista morborum satis subinde ma-

gnorum initia. Hæcque non immerito potentia Hippocraticæ dici possent, de quibus supra jam dictum, quod, quamdiu temperatæ sunt in corpore nostrò, hominem non lædant, mox verò ac conspicuæ s. manifestiores evadunt, ita ut acidum fiat acidissimum, dulce dulcissimum, continuo morbos afferant.

Spiritus tandem mala constitutio, quâ Dyspepsiam provenire diximus, dependere videtur partim, & quidem hodie, à defectu ejusdem, (nempe extra paroxysmum) dissipationem, quæ in paroxysmis hætenus contigit, solito majorem excipiente; Partim à pariori illius affluxu, quò nimirum retrocedere toties coactus est. Coactus autem est propter ventriculi fibras perfrigeratione constrictas. Perfrigerationem hanc quod præstiterit *potus frigidus*, aliquoties post corporis incalescentiam assumptus, jam dictum est. Potuit autem eadem augeri ab *aëre* autumnali frigidò improvidè admissò.

Hic ipse, (quem jam olim *Hipp. aphor. 22. Sect. III.* Februm Quartanarum feracem dixit) pororum Cutaneorum constipatione, insensibilem transpirationem prohibendo, sicque fuligines abscedentes in sangvinem retorquendò nō parum exæstuationem spiritus procathartice juvasse videtur. Siquidem effluvia sangvinis & spiritus haud debite satis exhalantia ad varias inordinationes disponunt. Insuper constat *Galenum* non ultimam Februm causam in pororum cutis occlusionem rejecisse; & per experientiam convicti Practici fateri necesse habent, nullam febrim tutò & absque recidivæ metu judicari posse, quæ sine sudoris evacuatione deferbuerit, inquit *D.D. Ettmullerus Diss. de Opii Virtute Diaphoret. cap. 2. §. 5.* Non repugnaverim tamen, si quis eundem Aërem, cui multū salis Nitrosi inesse evincunt Experimenta *Digbei*, quem vide *Orat. de pulv. Sympath.*, *Barthol.*
de

de Nive, afferitque Sylvius *Disp. Med. VII. §. 66.* respiratione in penetralia pulmonum, hinc sanguinis admissum, materialiter aliquid ad acidum illum reddendum existimet. Sicuti & per deflagrationem sanguinis, in prægressa Febri Terti-
anâ, magnâ portionum illius sulphurearum & volatilium, parte profligatâ, salinisque sui juris factis & influorem reda-
ctis, occasionem acescendi, Massæ Sangvineæ contigisse non dubito. Notanter dico Massæ Sangvineæ: Quod enim *Helmontius* per-
suadere cupit, *immediate aciditæ Cæbyli deferri in splenem, atq; ex coagulato ibidem peregrino mox adesse Quartanam Tr. de Retentis p. 627.* id asserere prohibet circulatio sanguinis, pervagatæ hodie notitiæ: Quâ suppositâ necessa-
rio, statuendum existimo, acidum prius ad sanguinem à cor-
de dispensandum, quam ad Lienis sedem pertingere, & in hoc ad maturitatem fermenti febrilis assurgere.

Patet ergo quid in Febrem Quartanam nostrum con-
jecerit, quôve hæc fomentò sustentetur. Ut jam rationem reddere *Symptomatum*, quæ supra Signorum vicem subibant, in proclivi putem; Hæc inter est:

I. *Anomalia seu Inæqualitas*; Accidens commune Quar-
tanariis cum febrientibus cæteris. Quod enim *Galenus*, (qui aliàs 8. *Metb. 3. L. δουρεσιαν* seu *Displicentiam* dicit) jam pri-
dem docuit: Plerique ante febres sentiunt tale quid, nec ta-
men explicare possunt. Illius ortum, quem nescio quô mo-
dò à tertiæ coctionis excrementis petat *Cass. Hoffm. Instit. L. III. c. 15. §. 5.* ad primam spiritus, (utpote quem aptum pati & sensitivum cum *Linden. Meletem. L. II. §. 54.* præsup-
pono) fermentique peregrini collisionem refero. Unde sc.
tristis quædam sensatio in Spiritum cadit, propter incipien-
tem objecti inimici aversationem.

II. *Pandiculatio* græcis σκορδίνημα ἢ σκορδίνσις. Et

III. *Oscitatio*, græcis χάσμη ἢ χάσμημα; Utraque à *Cass. Hoffm.*

Hoffm. L. III. cap. 87. § 9. & 10. à tertiæ concoctionis excremento fuliginoso non evacuato, iterum derivata ; Sed me judice ad Spiritus, qui Musculis continetur, propter consensum cum reliquo, aliqualem concitationem referenda.

IV. *Leve frigus.*

V. *Horror.*

VI. *Rigor, similis illi, qui sub intensissimâ hyeme accidit, ita ut dentes crepent, totumq; corpus vehementer concutiat. Quæ tria, quamvis à multis secundum magis & minus tantum differre, & ab unâ causâ modò debiliori, modò fortiori, modò fortissimâ oriri dicantur, benè tamen distingvit Hoffm. l.c. Sydenbamius unò exhorrescentiæ, nomine ea complectitur. Cum quò nescio an sufficiat dicere, quod natura naturali quodam sensu à materiâ febrili (nobis fermentum peregrinum dictâ) irritata, fugam quasi moliens, rigorem in corpore excitet atq; horrorem, aversationis suæ testem atq; indicem : Eodem plane modò, quo portiones purgantes à delicatulis assumptæ aut etiâ Toxica incaute deglutita, horrorem statim inferre consueverunt. Sane non abs re videtur, quod Hoffm. l. all. sentit ac scribit : Rigorem omnem esse convulsionem quandam, quæ non fiat, nisi translatis ad cerebrum, qua nervorum principium, vaporibus acris copiosis, quibus in nervis receptis & ad Musculos detrusis, fiat id, quod videmus. Liceat interim mihi cum illo, (cui suffragari videtur Wir digius L. II. Medicin. Spirit. c. 3. n. 4. p. 87. Horrorem spirituum vitalium metum eorumque concentrationem, & contractionem esse statuens, quâ relictis externis interna viscera repetant, contenturque inimicum & hostile, quod oeconomiam eorum intravit, conjunctis viribus excutere.) ceu dictum est, rem exponere; quando hætenus adhuc in obscuro est, quomodo vapores acres copiosi ad nervorum Principium transferantur inque nervos recipiantur, antequam Massa Sanguinis fervorem concipiat : Aut si quis meliora me docere non possit, permittat mihi credere, quod Affectus hi fundamentum originis suæ habe-*

habeant in vellicatione nervorum, à fermento acido =
ad maturitatem perducto simul proficiscente. Nervorum nimirum, quos ante copiosissimos dicebamus, splenicorum, quibus, ut & reliquis præcordiorum, imprimis stomachicis, cæteri totius corporis mirè consentiunt. Ceu & olim *Fernelius L. 4. c. 1.* agnovit, ex fotibus humidis apte calentibus, accessionis initiò Lienis in Quartanâ impositis, horroremque & Rigorem lenientibus; Et nuper cum Eodem aliisque argumentis docuit *sæpe laudatus D. D. Ettmullerus in Dissert. de Opin. Virtute Diaph. Sect. ult. §. 13.* Atque ita si explicetur sententia *Willisii*, qui *cap. 3. de feb. p. 82.* frigus & horrorem in febribus succo nutritio degeneri acetoso facto, & ad nervos delato eosque irritanti & vellicanti adscribit, non repugnaverim. Nec *Sylvii* sententiam interim impugnandam mihi sumo, qui ab halitibus succi pancreatici acidi, in tenue intestinum effusi, ibidemque cum pituita & bile variè mixti, aliàs magis, aliàs minus acerbis, symptomata, de quibus sermo est, derivat *L. I. Prax. cap. XXX. §. 78. & seqq.* Quamvis fatear, dubium mihi nasci, cum eundem Autorem *Prax. L. I. cap. 2. §. 5.* quando in causâ auctæ famis exponendâ occupatur, eosdem halitus succi Pancreatici, solitò acidiores, ad venticulū (qui non minus quàm intestina nervosus est) amandatos, accusare adverto; pariterque Epilepsiam acido, nervos immaniter vellicanti, ab eadem acceptam aliàs ferri intelligo. Vix enim assequor, quî fiat, quod non in omni fame auctâ Horror & Rigor simul febrilis percipiat =
= Atque similiter in Epilepticis nullum frigus advertatur. Quod autem Rigor *ὀστέων* seu ossa quasi confringens in spina dorsali artubusque, sentiatur, à periostiò sensibili non minus quàm Musculorum membranis à spiritu in iis una cum succo nervosò exagitatò, vellicatis derivandum existimo: subintellectò nervosi liquoris, quò de ante dictum, vitiò.

VII. *Calor post horam non subito effulgens, sed paulatim
augescens, interim acris.* Symptoma maximè molestum fe-
brientibus, in quò ideoque formale ipsius febris alii ponere
sustinent. Hujus genesis quantum concernit, si liberè mihi
cum *Fabro Pyretolog. Gener. p. II.* philosophari licet, impe-
tuosiori particularum sanguinis sulphurearum & salinarum,
vinculò mixtionis solutarum motui in se reverberatò, ad-
scribere non dubitaverim, nixus fundamentò citati Autoris,
qui locò allegatò, obliquum ex rectò, p. n. inquam hujus
caloris ortum ex naturalis natalibus probè declarat.
Motusque iste impetuosior dictarum partium locum fer-
mentationem auctam dicit, quæ non potest non exæstuante
spiritu, per fermentum concitatò, præsto esse. Nimirum
Spiritus, ut motu suò Naturali, quò alioqui principiorum
sanguinis, quibus obvolutus est, motum temperando, illaq;
sub mixtionis competentis vinculo continendo, totum salu-
taris fermentationis negotium celebrat; ita à fermentò aci-
dò hostili lacescit & in impetum actus, dum subigendi de-
niq; & expellendi hujus quod hætenus averfabatur, causâ
multiplicationem sui ex Massâ Sanguineâ urget, & subtilio-
res, æthereas magisque agiles hujus particulas ad augmen-
tum substantiæ & virium suarum facturas, extricare niti-
tur, reliquas omnes diversimodè, horsum, vorsum, sursum
deorsumque alternatim agit, unde disruptâ unionis cate-
nâ, & compage mixti solutâ, particulæ sulphureæ & salinæ
volatiles efferationes factæ, confertim erumpunt, & totâ
Massâ Sanguineâ in hunc modum effervescente, hincq; servili
cordis dispensatione & κυκλοφορία αἱματική auctâ, partes ad
quas fervidus acrisque humor continuo fertur, mirè & mo-
lestè incalescunt. Fit autem hoc sensim & paulatim, pro-
pter Massæ Sanguineæ, quam ante notavimus constitutio-
nem; in quâ cum portiones viscidæ fixæque acidæ & crudæ
abun-

abundent, præ volatilibus sulphureis, salinis & spiritualescere aptis; hæcque istis veluti vinculis quodammodo coëreantur, unde est ut spiritus istas ægrius commovere, non autem extricare possit, sicq; effervescentia, sanguinis lentè sed magis tamen magisque successu temporis cōtingat, diutiusq; nempe ad 20. horas duret. Unde simul manifestum est, quī fiat, quod

VIII. *Pulsus cessante horrore, tardi & rari, frequentiores cum æstus viget, sed in tarditate constantes, percipiantur.* Sequitur enim arteriarum pulsus motum Cordis, Cor autem pro effervescentiâ sanguinis principiò minore, postea majore, motus jam minores, jam majores suscipit.

IX. *Langvor totius corporis magnus:* Non potest ille non spiritus exæstuationem sequi; Hujus enim occasione, cum in Paroxysmò plurima pars illius avolet, inde est, ut extra paroxysmum inopia quasi quædam ejusdem, hinc spiritus animalis parcior ad Organa motus affluxus habeatur. Multiplicatione inprimis illius simul quodammodo prohibita, propter defectum materiæ idoneæ, dum Massa Sanguinis portionibus acidis, crudis & fixis imbuta est, de cujus origine superius dictum. Ut taceam sanguinis refluxum à partibus musculosis tardiores, propter crassitiem ab aciditate coagulante pendentem, unde fit ut partes graventur, pariterque corpus ad motum ineptius habeatur.

X. *Tensio in Hypochondrio sinistro;* De quâ nullò negotiò intelligitur, quod à Fermentò Lienis peregrinò concepracula sua distendente, simulque partes vicinas nervosas intestini Coli, per consensum affligente, oriatur.

XI. *Nausea & Appetitus prostratus.* Nauseam quod attinet, illa dependet à vitiosò liquamine, in ventriculò à vitiosâ digestionem, ut supra innotuit, natò, ejusq; orificium dextrum quodammodo stimulante. *Appetitus verò prostratus*

us propter fermentum ventriculi à constitutione suâ naturali deturbatum, nempe minus spirituosum, contigit, propter copiam enim potus frigidi, calefacto prius corpore, assumpti, liquor fermentalis valde dilutus & ad blandè vellicandum ventriculum ineptus redditus fuit. Non disputabo jam *an fermentum ventriculi naturâ suâ acidum sit?* juxta *Helm. Tr. Sextuplici Digest.* & ratione aciditatis hujus à Liene inspiratæ Chylificationem Appetitumque promoveat; Quanquam ille non primus Autor fuerit fermenti stomachalis acidî, sed à *Galeno* passim, præprimis *L. V. de Usu partium c. 4.* & *Avicennâ L. 1. c. 1. Doctr. 4. c. 1.* aliquid bilis atræ five humoris Melancholici acidî ad ventriculum à Liene secundum naturam emulgeri perhibeatur, famem æque ac chylificationem maximè excitans. Quos secuti fuerunt alii v. g. *Zacut. Lusit. L. 2. Prax. Admir. Cornel. Hogelandus in Hist. Oeconom. animalis, Wallæus de Motu Chyli, Willis de Fermentatione*; Eorumq; nonnulli in hoc cum *Gal. & Avicennâ* concordant, ut acorem hunc à Liene adduci credant alii verò fontem hunc negligentes, (uti *Zac. Lusit.*) ventriculo conatum ac proprium istum sibi persvadent. Quæ autem pro acido tali & inde enatâ causâ Appetitus proferri solent, examinata & explosa jam dedit *D. D. Rivinus in Dissertat. de Acido ventriculi fermento.* Insuper per experientiam constat, humorem ventriculi fermentalem non acidum esse, sed potius leviter salsum. Neq; verò apparet, quamobrem non aliud quam acidum fermentum hoc statui debeat; cum non acidis modo, sed & salis, sulphureisque, quin insipidis rebus, vis dissolvens & fermentans insit; Quod postremum etsi dubium cuiquam videatur, Experientiæ tamen haud refragatur. Nam primo Saliva omnis acidatis expers, imò insipida visa, vim nihilominus singularem fermentativam possidet, ita ut diversa præstet, quæ à simplici ∇ expectare non licet, dum fœtum mortificat, ejusque minurias discontinuat,

tinuat; per Salivam item & ejus vim fermentativā, nunc per oscula, nunc per communia pocula, sæpe morbi communicantur, quod de Scorbuto, Lue Venerea & similibus asseritur: Porro saliva sanorum, salinā suā vi, est optimum Cosmeticum & pluribus morbis externē conducit, ut Hordeolo, Impetigini, ceu & canes lambédō sua vulnera sanant. 2. Nec à Natura tantum non alienum, sed à Chymicis observatum, dari menstrua fere insipida, compacta satis nihilominus corpora dissolventia & immutantia, quale quid de oleo anisi in solvendis Coralliis in mucilaginem rubicundissimam D. Langelott. in Epist. ad Naturæ Curiosos docet.

XII. *Sitis*; quæ mordacibus effluviis ex deflagrante Sangvinis Massa hinc inde disseminatis, ventriculo ejusque orificiis affixis, vel ad fauces & gutturis concavitates derivatis, ac quasi sublimatis, meritò tribuitur: docente pluribus *Fabro Pyretol. Gen. p. 13. & 14.*

XIII. *Alvus*, ut solet fere Quartanariis esse, *Tarda*; Cujus ratio dependet partim ab absorptione humiditatis in fecibus alvinis, calori febrili acceptum ferendā; partim ab acido viscido p. n. in corpore existente fibrasque intestinorum constringente.

XIV. *Sudor in declinatione Caloris*; quem pro expulsionē fermenti adversi, denique subacti, (etsi non in totum everfi) fuliginumque exclusionē, natura molitur.

XV. *Macies ubiq;* advertenda. Hæc causas suas habet sat evidentes, spiritum jam paucum, jam nimium, sanguinem in paroxysmis fervidum, per se crudum & acescentem, ejusque serum præcipuè vitiatum, de quorum origine jam constitit. Nimirum hisce positis, non potest non corporis Nutritio magnopere imminui, quippe quibus rectè se habentibus in statu naturali, feliciter illa succedit.

Nam *Spiritum* in nutritionis negotio causæ efficientis s. assimilantis instar se habere, *succum nervosum* fermenti veluti vicem præstare, spiritumque animale advehere, *sanguinis* partem *serosam*, velut *ὄχνημα τῆς τοῦ Φῆς*, s. vehiculum nutrimenti assimilandi esse, portiones verò ejus gelatinosas, *chylosas*, materiam assimilandam s. succum proprie nutrimentum absolvere, & *purpuream* denique s. rubicundam sanguinis partem vel spiritum vitalem promptè sustinere & adducere, vel serum nutrimentum in fluore decente conservare, vel aliâ forsan ratione concurrere, hætenus persuasus sum. Certe spiritum ad nutritionem multum facere & sine illo nullam nutritionem fieri posse *Wirdigius l. c.* deducit. De succo nervoso quod dixi, sentit *Willis. Anat. Cereb. c. 24.* confirmat *Bruno Dissert. de liquore animali Lemn. I. §. 7.*

XVI. *Urinæ varia, sed omnes cruda*; Quarum potissima & prima ratio ponenda videtur in Cruditate acidâ ventriculi, de quâ superius actum. Scilicet dum alimenta propter malam ventriculi dispositionem non rite fermentantur & dissolvuntur, particulae eorum salinae & sulphureae, haud satis confractae inq; minima redactae habentur; Hinc serum à distributione chyli crudi residuum iisdem non imprægnatur & Urina instar aquæ limpidæ excernitur, Cruditatis Index. Derivandæ deinde eadem Urinæ à constitutione Massæ Sanguineæ, quatenus hæc elementis minus activis dotata, segnius saltem effervesceat, aut ipsius ebullitio naturalis, per aciditatis præsentiam inhibetur, adeoque Chyli aut ipsius contenta activa non satis dissolvuntur, fixiora simul non volatilifantur, ut seroso latici intimius commisceri & crassitiem convenientem ipsi impertiri haud valeant; Nisi in Paroxysmo: Unde post hunc rubicundiores urinæ habentur, & frigefactæ sedimentum rubrū deponunt.

XVII. Deniq; *Facies decolor*. Hæc Maciei pedissequa, de illa autem constat ex præcedentibus. Quô-

Quoniam itaque propriè Morbò, quibusnam in Partibus, quibuscum Symptomatibus, quas ob Causas Æger noster affligatur, satis me exposuisse opinor.

Prognosis quod spectat, cum supra jam constiterit, Quartanam hanc quodammodo Epidemiã, Autumnalem, sic satis vehementem, simulq; ut ceteræ ejus generis, Morbũ esse Chronicum, magnum atque diuturnum, itemque Universalem; Et labem non toti tantum Massæ Sangvineæ, sed & succis corporis penè omnibus, ipsique spiritui inhærere: cumque symptomata eidem conjuncta sat gravia sint, Facultate Animali per insignem lassitudinem, Rigorem ossa quasi contudentem, dolorem spinæ dorsalis & Hypochondrii sinistri; Vitali per chylicationem læsam, & hinc Nutritionem vitiosam non parum labefactatã; Urinis à statu naturali multum deflectentibus, & flore tum totius, tum faciei insigniter deperditò: Non equidem facilem & molestiæ omnis expertem subitoque successuram Curationem animo concipere possum. Attamen certam illam fore, & salutem, siquidem Deus velit, pristinam Ægro nostro reddituram affirmare non dubito. Est enim ceu pariter initiò innuimus, Quartana Morbus tutissimus, neque in eò apud nostrum Vigore, quò alias solet, cum tristitia minatur. Absunt accidentia funesta, nimirum durities Hypochondrii sinistri cum purpura maculisque Scorbuticis conjuncta, it. Hæmorrhagia narium, quam aph. 3. Sect. 8. malam pronunciat, item Singultus, quem lethalem Hartmannus vidit. Denique Æger juvenis, neq; à Medicinæ usu alienus est. Si speciatim de Tempore Curationi impendendò prodenda mens est, dico, Mensem unum vel alterum, quin tertium posse elabi, antequam suò se malò liberatum sentiat. De modò Eventus sic teneo: Post varias spiritus exæstuationes & M. S. fermentationes, subjugatò denique fermentò,

D 3

perq;

perq; sudorem partim , partim per alias vias excluso , sanguineque depurato , rediturum denique illum ad motum competentem , omniaque in oeconomia animali rite successura. Quod ea tamen lege accipi velim , si æger se audientem dicto præbuerit ; ut & quæ facienda sunt , rectè fieri possint , & quæ fugienda , ut par est , evitentur. De quibus utrisque tradere jam tempus est.

Et I. de faciendis. Quorū rationem non melius intelligere licet , quā ex modo solutionis , quem modo generationis ante exposito contrarium ita concipio. Cessabit exæstuatione spiritus p. n. in ægro nostro , dummodo fermentum salis peregrinum , in Liene subinde repullulans , aut supprimatur s. activitas ejus inhibeat , aut extingvatur. Supprimetur antacidis specificis. Extingvetur , si digestio Lienis redintegretur & sanguis digerendus aciditatem & visciditatem , quam concepit , exuat. Hoc effectum dabitur , proscriptis ex M. S. portionibus heterogeneis , & in earum locum substitutis blandis & dulcibus. Eliminabuntur illæ evacuatione universali , nempe sanguinis per Venas apertas educatione , perque alvum , urinæ , sudoris & salivæ vias , purgatione. Redibunt hæc , chymus redintegratus seu melioratus. Meliorabitur Chymus , si chylus dulcis & bonus generetur. Generabitur hic , materia Chylificanda convenienti accepta , reliquiis acidis & crudis in ventriculo hærentibus exturbatis , sicque fermentum ventriculi in statum naturalem reducto , & spiritu rectè iterum affluente. Accipietur materia Chylificanda conveniens , assumptis rite alimentis bonæ notæ facilisque concoctionis , ut & potu probò. Exturbabuntur reliquæ acidæ , malumque fermentum extra ventriculum feretur , tum sursum per Vomitus , tum deorsum per Catharsin. Spiritus iterum rite influet , si non amplius absumatur ; quod fiet paroxysmo febrili ut & aliis symptomatibus urgentibus sublati.

Nimi-

Nimirum hinc colligere facile est, quid pro salute Ægri nostri agendum Causæ morbificæ indicent. Indicant verò & earum & Subjecti conditio, aliaque improprie dicta Indicantia, operationes alias, dictarumque aliquas determinant, aliquas limitant, nonnullas planè excludunt. Indicat scilicet succorum evacuandorum qualitas, nempe aciditas & visciditas, siquidem illi tum ex primis viis, quàm ex M. S., per Vomitum, Urinam, Sudores commodè duci debeant ante digerēdos, cum aliàs molestissima futura evacuatio, ceu *Sylvius* agnovit *Prax. L. 1. c. 2. §. 26.* Digestio hæc fiet partim in vertendò & absorbēdò acidū, partim incidendò tenax quod est & glutinosū. Indicat eadē humorum qualitas, cum Digestionē lentè admittat, purgationem vix fortiolem locū habiturā, sed lentè & per Epicrasin purgandum esse. Indicat locus cruditatis præcipuus, nempe Ventriculus, à faucibus propius quàm ab intestinò rectò distans, Vomitum potius & ante, quàm Catharsin per alvum instituendum; idemq; in omni fere febre faciendum inculcant Principes in Re Medicâ Viri, experientiæ testimoniò confirmante, quod unicò Vomitoriò plus sæpe in similibus casibus ægri juventur, quam plurimis Purgationibus. Ubi volupe est paulisper extra ordinem ire, deque Vomitoriorum indole aliqua huc afferre, asserendo, quod *inter Vomitoria & Purgantia vix Essentialis & vera, sed modalis duntaxat & gradualis differentia intercedat*: Quippe vix datur Vomitorium, quod non simul per alvum evacuet, & nullum purgans verum, quod non etiam vomitum causare possit, pro diversitate saltem doses & corrigentis mutatione. Imo stolones sambuci, dicit *Hollunder Sprossen*/pro diversò saltem decerptionis suæ modò interdum vomitum interdum secessus, movere observatum; Illum sc: si in decerpēdò digitis sursum vellantur; hunc v. si deorsum & humum versus decerpantur. Quale quid

le quid in aliis quoque vegetabilibus Catharticis, ut fol. asari &c. annotant Authores, vid. *Helm. Tr. de Magnet. Vulner. Curat.* Circa doses diversitatem vix ille dubitabit, qui v. g. Colocynthidis grana aliquot alvum tantum laxare, scrupulum autem integrum vel Unciam β . vomitum ciere novit. Præparatio verò & correctio, in immutatione s. refractione ad minimum, illorum Principiorum consistit, quæ sibi relicta, ventriculum ad vomitum potius irritarent. Duæ autem præter quantitatem dictam in Pharmacis sunt conditiones, quarum intuitu Emetica ventriculum ad Vomitum citius, quàm intestina ad alvi depositionem movent. Harum Prima, nimia illorum activitas, & fibrarum nervearum ventriculi celerior irritatio est, quam si diutius stomachus tolerare nequit, fibrarum suarum carnosarum contractione, illa ejicere conatur. Altera Pharmacorum nimia tenacitas videtur, qua tunicæ interiori ejusdem ventriculi tenacius & diutius adhærescentia, eandem atrocius vellicant. Ergò qui hanc activitatem & stimulandi vim intensiorem tollere, vel tenacitatem atque glutinositatem corrigere novit, Vomitoria facile in purgantia mutabit; (inquit sæpe laudatus D. D. Bohn. in *Colleg. Therapeut. MSS. Art. III. de Purgatione*) Prius contingit, vel per quamcunq; particularum acrium exhalationem & elotionem, vel per earundem fixationem; ita Asari radix per coctionem vim vomendi amittit, imo tandem vi purgatrice depositâ, Sudoriferam atq; Diureticam retinet, vid. *Helm. Tr. de Natur. Contrar. Nesc. §. 46. & Simon Pauli Quadripart. Botan. p. 23.* Aliorum virulentia Emetica per acida infringitur & in purgativam reducitur, v. g. radicis Elleb. nigri per Acetum destillatum, phlegma Vitioli; & Mercurii Vitæ per circulationem cum Spiritu Salis, aut cū Spiritu Nistri cohobationem. Imo similem correctionem hæc & alia.

Medi-

Medicamenta videntur perpeti in & ab ipsis affumentium ventriculis, ita ut quæ huic Vomitoria sunt, alteri alvum saltem blandè subducant. Sic & vitæ, ex Observatione *Sennerti*, Hydropicos per inferiora tantum purgat, vehementissimū alias Emeticum. Alterum fit per portionum sibi invicem tenaciter cohærentium, separationem & divulsionem, ceu in resina jalappæ videre licet, quæ si per se propinetur ut plurimum Emetica existit, sin verò cum Vitello ovi, vel Spiritu Vini prius dissolvatur, ejusq; visciditas destruat, suavissimum evadit purgans, vid. *Wallæum Meth. Med. p. 20. Peicblinum de Purgantibus c. 19. & Willis. Pharm. Ration. P. 1. Sect. 2. c. 2. & Sect. 3. c. 1.* Ita ut ex his dictis satis superq; constet, Vomitoria & purgantia modaliter saltem non autem per se differre.

Sed ut è diverticulo in viam redeam, Inducant Vires ægri nostri, qui alioqui Paroxyfmi vehementia atteruntur, non dandum Vomitorium, (quod alioqui Practici jubent, nec *Hippocrati* displicet) die Paroxyfmi. Inducant eadem, Evacuationem per Ptyalismum, veluti molestissima, somnum & quietem turbantem, minimè suscipiendam. Similiter & hæc & ipsa Massæ Sangvineæ constitutio docent, educatione sanguinis per V. S. abstinendum. Et cum visciditas etiamnum humorum magna sit, patet hinc ægrum sudoribus, antequam fluxiles illi facti sint, minimè macerandum. Quod pariter exemplum *Wedelii* monet, qui Studiosum Quartanarium per sudorifera volatilia indefinenter ante evacuantia adhibita, in Purpuram Scorbaticam multis annis post durantem, conjectum commemorat.

Redit adeoq; summa eorum, quæ ex Artis dictamine agenda apud nostrum ægrotum veniunt ad hæc potissimū capita. 1. ut fomes materiæ morbosæ, in primis viis & stomacho hærens, resolvatur & Vomitoriis blandisq; purgantibus removeatur. 2. Acidum viscidum in Massa Sanguinis, antacidis & incidentibus emendetur, eademq; lenibus Catharticis, Diureticis & deniq; Diaphoreticis, depuretur, 3. Fermentum interim febrile specificis supprimatur, & 4. Lienis Digestio appropriatis juvetur. 5. Symptomatibus in cursu urgentibus, præsertim spinæ dorsalis doloribus maturè obviam eatur.

Quæ omnia eò ordine, quò modò recensuimus fieri debere, facile est ex ante dictis colligere.

Fieri autem quibus *Instrumentis* possint, id nunc indicandum. Faciam servatò ordine vulgò receptò, secundum tres Fontes *Chirurgicum, Pharmaceuticum, & Dieteticum.*

Igitur ex *FONTE CHIRURGICO* inservient sudori cum opus erit, per frictions, juvando, panni calidi & asperi, quorum adhibendi modus notissimus est.

Ex *FONTE PHARMACEUTICO* 1. *Vomitui concitando* proderunt vel *Oxyssaccharum Emet. Ludovici* vel *sapa Vomitoria Sylvij* vel *Crocus Metall. absynth. Myns.* vel *Antimoniata* alia, aut *Radix Asari* quam à Drachm. β ad Drachm. datam in pulvere, vel 100 curasse *Quartanarios Lindenius in Collegio Casuali MSS.* docet. Vel seq. *R. Tartari Emetici gr. iij Sacch. albisf. Scrup. β M. D. in vehiculo calido S. Brechpülverlein auff einmal zu nehmen.* *R. Fol. Asari recent. No. Viii, scinde in longa Segmenta & affunde Aquæ Card. bened. Uncias tres, stent per noctem, mane coletur per linteum, adde Oxymel. simpl. Drachmas iij.* Notandum enim, quod inculcat *Horstius in Herbar. L. 1. P. 258.* nec multam contritionem ferre *Asarum.* Circa usum autem horum, quomodo se gerere debeat *Æger*, non est quod pluribus indicem, quando quid Vomiturientem facere conveniat à quovis Medico præsentè experiri potest.

2. *Preparationi & Digestioni* humorum acidorum & viscidorum conducent *Sal digestivum Hypochondr. Sylvij* dictum, ex Capite mortuo *Spiritus Salis Armoniaci*, cum cineribus clavellatis aut *Sale Tartari* destillati, elixiviatum, *Tartarus Vitriolatus*, *Arcanum Duplicatum Mynsichi*, *liquor Terræ fol. Tartari*, *Sal absynthij Centaur. min. Card. bened. Fumar. aliag.* hujus generis *alcalia vegetabilium fixa Cochleæ* item *Conchæ, Ostreæ, Mater perlarum, Corall. rubra, Os sepie; Cancri fluviales* horumque ut & *Percarum lapilli.* Præ reliquis autem *Spiritus Salis Armoniaci*, quem *Antiquarium* vocare consuevit celebratissimus *Lipsiensium Medicus D. D. Michaël*, hujusq. flores; *Spiritus* item & *Sal vol. C. C. aut viperarum.* *Ess. Myrrhæ cum spiritu salis Armoniaci parata.* Nam *Quartanæ* sanè potentiores, & ad volatilia extensam manum exigunt, docente, *D. Ludovico Diff. 1. Pharm. p. 286.* Scilicet hæc omnia acidum, partim invertendo, partim absorbendo enervant, & visciditates detergunt, possuntque diversimode misceri

misceri e, g. R. *Salis Antihypoch*: gr. XV. *Corall. rubr. Scrup. β. M. F.*
Pulvis pro una & sic pro 6. dosibus S. Digestiv Pülverlein. Vel R. Ar-
can. dupl. Myns. Scrup. β. Salis absynth. Card. bened. ana gr. IV. florum
salis Armoniaci gr. ij. vel iij. M. aut R. Spirit. salis. Armoniaci, C. C.
reſtificati ana Drachm. dimid. S. Alterier Spiritus. Quis verò admini-
strandì ſingula modus ſit, longum foret exponere. Si de appetitu ægri
conſtiterit, in quam maximè materiam ille feratur, nullo negotio id
ipſum docere licebit.

3. *Ad blandam purgationem, etſi plura facere poſſent, utpote*
Pilule aloëtica (ex Aloë, non niſi per Aquam ſimplicem depuratâ,
minori forma, ita ut ex quòvis granò quatuor circiter fiant, juxta Ludo-
vicum Tr. de Sale vol. Tartari paratæ,) Decoſtum Tamarindorum, ſyr.
roſ. ſolut. cum Ambubeja Clyſteres Emollientes varij, etc. Meâ tamen
ſententiâ ſufficiens ſatis & commodum uſui erit. Potionis genus,
tale: R. ſol. ſ. ſ. ſ. Drachm. ij Mechoacanne Drachm. β, ſeminum
aniſi Scrup. i. Galang. Min. ſalis Tartari ana gr. V. infunde per noctem
cum ſ. q. Decoſti florum & fruſtum, mane bulliant Colentur, Colaturæ
R. Unciam I. cui adde Syr. de Cichor. cum Rhab. ſyr. roſar. ſolutivi ana
Drachmas ij vel iij, pulveris rad. Jalapp. gr. V. Aquæ Cinnam. Cochlear
dimidium M. S. Exier. Träncklein / capiatur die ἀπογεῖρας horâ ma-
tutinâ ſeptimâ calidum cum jejunio 2. horarum: Quibus elapſis
jufculo utatur, repetatve ejus uſum ſingulis octiduis.

4. *Diuriſin concitare apta erunt, tum quæ inter Digestiva pau-*
lo ante recensuimus aliqua tum maximè Tinctura Salis Tartari ad
guttas 40 in vino Rhenano, vel Aqua alkakengi aut ſimili data, horis
potiſſimum pomeridianis.

5. *Similiter pro cicndis ſudoribus pleraq; iſtorum convenient, ſpecia-*
tim tamen huic intentioni ſatiſfactum iri crediderim per Bezoard. Mi-
nerale præfertim Martiale, pondere gr: xv. in ∇ è typhis Cervorum Cinna-
momifatâ, exhibitum; vel ſpiritum ſalis Armoniaci ſaſſafratum aut aniſa-
tum, item Carminativum, de tribus alias dictum, ad guttas xxv, duabus
horis ante paroxyſmum cum vino Rhenano datum, additò tantillò
Tincturæ Anodynæ Ludovici. Is ipſe enim Opiata ſpiritibus volatilibus
combinanda loco paulo ante cit. ſvadet.

6. *Fermenti febrilis activitatem cohibere idemque ſpecificâ virtute*
ſupprimere poterunt, (ut alia à variis recensita taceam), Intriſecus qui-
dem

dem datus *Cortex China* (quem alias *Corticem Sinensem* & *Palo de Calenturas*, *Corticem* item *Jesuitarum* & *Lignum febrifugum* appellant, cujusque naturam modumve operandi & adhibendi pluribus deducit *Willis. Tr. de Feb. p. 102.* quo cum conferri potest *Jul. Cas. Claudin. app. ad Tr. de Ingressu ad infirm. p. 434.* ubi notanter addit, hoc damnum absconditum habere- hunc *Corticem*, quod *Tentiginem* excitet. *D.D. Ammannus Disp. singulari de Antiquart. Peruv. habita Lips. 1663.* ut & *Manuduct. ad Materiam Medicam p. 104.* & *Sydenhamius l. supr. c. p. 82.*) aut *Gentianæ radix*, vel in substantia ad *Drachmam j.* vel sub forma succi inspissati inque *Pilulas* redacti ad *Scrup. ij.* aut in *Extracto* ad *Scrup. j.* exhibita. Testatur enim *D. Ludovicus*, (cui *Barthol.* quoque & *Hæfer. in Hercule Medico* accedunt) & solitaria hoc & tantillo *Nucis Vomicae* sociato praesidio idē sese, quod cū *China* *Chinae* imo cōstantius quid praestitisse: Extrinsicus autem applicat una *Empl. Strobelbergeri* quod multū valere ad frangendam *Quartanae* contumaciam, sicut & *empl. ex fuligine splendente, Terebintina telisq. aranearū, cum camphora* & *oleo aranearum concinnatum*, quod seni nobili fere sexagenario, sine Medicamento cujusdam alterius usu, *Quartanam* profligasse, Autore *DD. Michaëlis*, testatur *DD. Ettmull. in Praefamine Dissert. de Chirurg. infusor.*

7. *Lienis Digestionem* juvabunt intus assumpta *Martialia*, imprimis *Tinctura Mart. aperitiva Tartarifata Zwelferi* & *Michaëlis à Rolf. in Chymia p. 219.* exhibita, *Ess. fumarie*, *Tinctura Corall. antiscorbutica* & c. ad guttas xxx vel xl. propinatae: Topici vero loco calidē regioni *Lienis* applicatum *Emplastrum de Nicotiana*, quod *Helmontii* fuisse creditur, quōve nunquam se falsum ille asserit, nisi quod in *obesis tardiora sint ejus obsequia de feb. cap. 17.* Hoc alii cum *oleo Capparum* parant, alii sic adornant: R. *Nicotianæ* q. v. Coq. in f. q. *Vini* ad ebullitionem dimidiæ horæ, Coletur per pannum Colaturæ adde mel commune, olei communis q. f. ut reducantur ad *Empl. consistentiam.*

8. *Rigori ῥῆξις πῶ* & *dolori spinæ dorsalis demulcendo* egregiē profutura arbitror *Linimenta* calidiora dorso inuncta quale est illud *Wierij* ab *Hæfero* in *Hercul. Med. L. VI. p. 360.* propositum R. *olei Laurin. Unciam iß. Spiritus vini Drachmas ij* succi *Rutæ* *Unciam j.* M. Coq. lente. Non minus *olei Caryophyllorum* in hunc finem cōmodus usus erit, quippe, quod & externē *Epigastricæ* regioni illitum, & ad gutt. iv. vel. v. in *Zedoaria* aut *Theriaca* potum, aut sub *Elæosacchari* forma ad gr. v. vel

vel vij. in vino assumptum horroris remissionem eximiè promovet, docentibus *Sylv. 10. L. I. c. XIX. §. 71. & D.D. Ettmull. Dissert. de Opij Virtute Diaphoretica c. 2. §. 21.*

9. Siqve alia *Ægrum* symptomata magnoperè urserint, non deerunt ex hoc Pharmaciae fonte, quibus sublevari poterit, mihi hoc loco propter brevitatis studium prætermittenda.

Ex FONTE tandem DIÆTETICO operationibus Medicis ante recensitis congruent. *Ær* toto Curationis tempore temperatus: *Cibi* ex pullis Gallinaceis, Aviculis montanis, Carnibus Capreolorum sylvestrium &c. juscula ex Cremore avenaceo, jure carniū, Cerevisia & Vino cum seminibus Carui parata. *Potus* Cerevisiæ hordeaceæ probè defecatae cumque herbis quibusdam febrifugis v. g. Centaur. minoris.

Rosmar. Melis. Scolopendr. Card. bened. infusæ; ut & Vinū, (quando febris inducias dat,) mediocriter generosi: *Motus corporis animiq;* moderati: *Excretio* excernendorum minimè impedita: *Somnus* pariter mediocris.


Restat tantum ut *fugiendorum* cōmemoratione concludam, quæ imprimis à Causis, supra adductis indicantur: Quanquam & aliæ quædam res de iisdem moneant, ceu jam tum innui quando de faciendis egi, & vulgò dictas Contra-indicationes attigi. Quare dicta hīc repetere nolo, paucis tantum ægrum monens: ut caveat sibi ab aëre frigido, potuque ejusdem qualitatis, & immoderatâ hujus ingurgitatione. Fugiat item Lac & Lacticinia, Pisces, præsertim alburnos, fructus horarios, cibos fumo induratos, & similia facile jacescere apta; qualia Mellita etiam sunt & saccharata. Mittat Cerevisiam Falckenhagianam, Vitet Mœrorem & Iram, & quicquid animi quidem turbare potest.

Ita consulo, Consilium autem, qualecunque hoc ut proficit afflicto, id est, quod à Supremo Numine supplici

Voce posco, cui

SIT LAUS ET GLORIA.




Quæ Juveni facienda sient fugiendaque, *Febris*
Quem *Quartana* quatit, dum non malè consulis,
omni

Monstras Te studio Juveni facienda Medenti
Fecisse, ac quæ sunt illi fugienda fugisse.
Agnoscet studii vestigia Lector, & Artis
Mox ægri agnoscent parte solamina grata.

*Nobil. atq; Per Eximio Dn. GERRESHEIMIO, Concivi
suo & hætenus Auditori percaro, cum Voto omni-
gena felicitatis inter occupationes*

f.
PRÆSES.

Rebus ut afflictis FRATER medeare Tuorum,
Laudo Tibi studium, quod Medicina notat.
Hem! Persuadebam Tibi quondam Matris amore
Ut velles hominum corpora sana dare.
Non mora, flectebas sensus ad Pharmaca, quorum
Nomina & Effectus mente tenere juvat.
HALLA quod instituit, Jova ducente Benigno,
FRANCFURTUM docuit LIPSIA ut Alma Prius.
Pergis ad Augustum Finem specimenque Laboris
Docti ostensurus fers bene Scripta foràs.
Nunc ea defendes; Ego Præsens corde precabor
(Corpore sejunctus): *Det DEus omne Bonum!*

Tuus Frater verè germanus

M. JOH. WILH. GERRESHEIMIUS,
Ruppinensis Scholæ Rector.

Dum Tu describis dira molimina febris,
Sic doctô calamô singula quæque notas.
Jupiter ab alto, grator, tua cœpta secundet!
Sic TIBI sic Patriæ commoda multa feres.

Nobiliss. atque Doctiss. Dno. Authori Fratri suo
dilectiss. Imq; f.

H. Q. M. S.

Scire potestates Herbarum, usumque medendi,
Et Chimistarum succis depellere morbos,
Non labor est unô facilis peragendus in annô,
Solertes doctosque animos operosa Medentum
Ars poscit, quæ expertum ratione probetur.
Hactenus ingenuus mansisti Lector, Amice,
Privatus, Celebris scrutans quæ Lipsia dixit,
Quæque Viadrinus docuit Te noster Apollo.
Jam scandens cathedram sistis Tua Θήματα Doctis,
Veraque sic Tua laus Nomenque manebit, & illud:
Non nocte, ut fungi, Medici nascuntur in unâ.

*Hisce petito Nobilis. & Doctis. Dn. Respondentis
Fautoris & Amici satisfacere
debit*

**MELCHIOR BENJAMIN Saldenbach/
Philiater.**



